Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25944
Copyright: Admont, Benediktinerstift

133r

nicaret. Item ex concil. eliberitano. Post penitentiam recipi licet ad communionem uidua que mechatur ut uirum accepit.

Si qua uidua fuerit mechata et eundem postea habuerit maritum post quinquennii tempus acta legitima penitentia placuit eam ad communionem reconciliari. Sed obicitur. Dauid cum bethsabee adulterium commisit et mortem urie machinatus est et tamen eandem bethsabee postea duxit in uxorem. Sed in ueteri testamento multa permittebantur propter infirmitatem que in euangelii perfectione eliminata sunt. Sic permittebatur quibuslibet dare libellum repudii ne odium funderet sanguinis innocentis. quod postea in euangelio dominus prohibuit dicens. uxorem a uiro non esse dimittendam nisi causa fornicationis. Que enim permittebantur causa infirmitatis et sacramenti futurorum. Sic dominus permisit filios israel offerre animalia in sacrificium que in egypto consueuerant immolare demoniis. malens ea sibi offerri quam ydolis. et ut essent illis sacramenta futurorum. Sic bethsabee permissa est duci in uxorem non magis causa sue infirmitatis quam significatione futurorum. II. Q. Quod autem aliqua non sit cogenda nubere alicui. ambrosius testatur super epistolam primam ad corinthios. Nubat uidua cui uult tantum in domino. id est quem sibi aptum putauerit illi nubat. quia inuite nuptie solent malos prouentus habere. Tantum autem in domino. id est ut sine suspicione turpitudinis nubat. et uiro sue religionis nubat. Item iudicium urbani pape.

Iuramento principis non cogitur puella nubere cui numquam assensum adhibuit.

Si uerum esse constiterit quod nobis legati iordani principis retulerunt. scit quod ipse coactus et dolens filiam suam infantulam nolentem flentem et pro uiribus resistentem. non assentientibus sed ualde dolentibus matre et parentela rainaldo ridelli filio desponsauerat. quod canonum et legum auctoritas talia sponsalia ut infra ostenditur non approbat. ne ignorantibus leges et canones nimis durum quod dicimus uideatur: ita sententiam attemperamus. ut si princeps cum filie matris et parentele assensu. id quod ceptum est perficere uoluerit concedamus. sin autem. legatus uero noster utrasque partes audiat. et si nichil fuerit ex parte supradicti rainaldi amplius quod impediat ab ipso iordano sacramentum quod ita constiterit hec ut dicta sunt accipiat. et nos canonum ac legum scita sequentes. deinceps non prohibemus. quin alii uiro si uoluerit predicta eius filia tantum in domino nubat. Item sancho regi Aragonum.